



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Complectens Constitutiones ab Innocentio XIII. & Benedicto XIII. editas

Luxemburgi, 1740

CXL. Statuta pro bono regimine Congregat. Doctrinæ christianæ
Avenionen.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74724](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74724)

po, aliisque ordinariis, habentibus usum Pontificalium, sub pœna suspensionis ab eorum usu, arbitrio Summi Pontificis; Capitulis autem Ecclesiarum Cathedralium, & Collegatarum sub pœna interdicti; reliquis Ecclesiasticis secularibus in sacris constitutionibus sub pœna suspensionis a divinis: Regularibus utriusque (sexus, suspensionis ab officio, & privationis vocis activæ & passivæ; secularibus sub pœna excommunicationis majoris; quarum censurarum, & pœnarum absolutio, & relaxatio reservetur Romano Pontifici.

Prælati current hac observari.

§. 26. Curent propterea universi Prælati prædicti, & Superiores Regulares omni diligentia qualibet hac nostra Constitutione contenta, undèquaque observari, ad averendum præjudicium grave, quod imminere posset Ecclesis ex occultatione jurium, pro quorum custodia, & conservatione ipsi pro viribus laborare tenentur ex onere assumpto in ipso limine receptionis suæ dignitatis, & muneris: proindeque inobedientes, nedum juris remediis ad observantiam eorum, quæ hac Constitutione vulgantur, cogere possint, sed debitæ pœnis in eos, qui muneris suo deerint, animadvertere non omittant.

Hæc litteræ perpetuo valide sint.

§. 27. Decernimus autem, easdem præsentibus de subreptionis vel obreptionis, aut nullitatis vitio seu intentionis nostræ, vel quovis alio defectu notari, impugnari, infringi, invalidari, aut in jus vel controversiam vocari nunquam posse; sed illas semper perpetuo validas, & efficaces fore, suosque plenarios effectus fortiri: atque ita per quoscumque iudices, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, & Cameræ Clericos, ac S. R. E. Cardinales, sublata eis, quavis aliter iudicandi vel interpretandi facultate, & auctoritate, iudicari, & definiri debere; irritum quoque, & inane decernimus, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Clausulæ de registoria.

§. 28. Non obstantibus quibuscumque Constitutionibus Apostolicis de non tollendo jure quæsito, & quorumvis Capitulorum, Ecclesiarum, Monasteriorum, aliorumque piorum locorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alias roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & Litteris Apostolicis, exemptionibus, immunitatibus, a Nobis, & Prædecessoribus nostris sub quibuscumque tenoribus, & formis, & cum quibusvis clausulis, & decretis, quomodolibet concessis, ac in futurum concedendis. Quibus omnibus, etiam si de illis, illorumque totis tenoribus specialis, specifica, & expressa mentio habenda foret, tenores hujusmodi præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis in suo robore alias permanentibus, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut earumdem præsentium exemplaribus manu, & sigillo cujusvis publici Notarii, vel alterius personæ, in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in iudicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Nemo hanc Constituti. infringere audeat.

§. 29. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ institutionis, voluntatis, mandati, statuti, & ordinationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo vicesimo septimo XVIII. Kal. Julias, Pontificatus Nostri Anno IV.

Statuuntur nonnulla, ac quædam indulgentur facultates pro bono regimine Congregationis Avenionen. Clericorum Sæcularium Doctrinæ Christianæ; necnon Indulgentiæ quædam conceduntur.

Alia hujus Const. ed. 1725. Sept. 28. P. 2. prædictæ Congregatio Avenionensis unita fuit Congregationi Neapolitanæ.

BENEDICTUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Credita Nobis Cœlitus dispensationis ratio exigit, ut paternam Christifidelium quorumlibet præsertim Christianæ pietatis, & charitatis operibus ad procurandam suam, & proximi salutem assidue incumbendum curam gerentes, illorum statui, & felici regimini quantum Nobis ex alto conceditur, consulere jugiter studeamus.

§. 1. Alias siquidem Nos Congregationem Clericorum Sæcularium Doctrinæ Christianæ, quæ in Regno Neapolis consistebat alteri eorundem Clericorum Sæcularium Congregationi in Civitate nostra Avenionen. institutæ perpetuo univimus, ita ut deinceps unica foret congregatio Avenionen. nuncupanda in diversas Provincias distincta pro cujus salubri directione plures ordinationes edidimus, eique varia privilegia, & gratias tum Spirituales, tum temporales concessimus, & alias prout in nostris in simili forma Brevis die 28. Septembris 1725. expeditis literis, quarum tenorem præsentibus pro plene, & sufficienter expresso, ac de verbo ad verbum inserto haberi volumus plenius continetur.

§. 2. Nunc autem Nos eandem Congregationem sic unitam, quo firmiter subsistat, ac majora in dies suscipiat incrementa, novis, & amplioribus favoribus, & gratiis prosequi, ejusque bono regimini, & tranquillitati prospicere volentes, motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, de que Apostolicæ potestatis plenitudine harum ferie benigne indulgemus, ut Præsides capitulorum Generalis, & Provincialium ejusdem Congregationis illorum vocales ab Ecclesiasticis censuris occultis ad ipsorum Capitulorum validitatem, & in foro conscientie dumtaxat absolvere, ac tam Capitulum Generale numerum illius vocalium pro tempore minuere, servata tamen inter Provincias æqualitate, quam Præpositi Provinciales de suorum consiliariorum consensu, ac annuente Definitorio Rectores Domorum, seu Collegiorum dictæ Congregationis, ubi ejusmodi Domum, seu Collegiorum necessitas, vel utilitas exegerit, de unius Domus, seu Collegii regimine ad alterius Domus, seu Collegii ejusdem Provincie Gubernium ad tempus, quo dicti Rectores in eorum muneribus durare solent, pariter duraturum transferre, attenta vero reddituum Provincie Romanæ dictæ Congregationis præsertim in præfato Regno Neapolis, tenuitate, quæ tempore unionis ejusmodi non satis innotuerat, & ad parcendum ingentibus sumptibus, quos vix ad præfens suscipere posset, ut vocales ejusdem Provincie Procuratores, qui eorum nomine, ac pro eis Capitulis generalibus, & Provincialibus interveniant, deputare, ita tamen, ut nemo quovis titulo, vel prætextu pliusquam duo suffragia in eisdem Capitulis habere, & ferre possit, & si quis a duobus, vel pluribus vocalibus in Procuratorem deputari contigerit, pro eo ex Constituentibus, qui majori dignitate præcellet, & si

CXL.

Dat. 14. Jun. 1727. An. 4.

Exordium.

Alias ab hoc Pontifice prædictæ Congregationi unita fuit altera Congregatio Regni Neapolis.

Indulgentur prædictæ facultates nonnullæ.

Declarantur
Constitutio-
nes quædam
Alexan. VII.
& Clem. X.
& eis inha-
rendo fla-
tuuntur non-
nulla.

dignitate pares fuerint, pro antiquiore, ratione professionis in dicta Congregatione emissæ, Suffragium feret, & alii Constituentes jure suffragandi ea vice privati remaneant, utque Præpositus Generalis ejusdem Congregationis, & quisque Provincialis de suorum consiliariorum, atque Rector de Propositi Provincialis, ejusque Consilii consensu adversus sibi subditos inobedientes, aut contumaces, seu disculos ad penam suspensionis a Divinis procedere, ac resistentes ab illa absolvi libere, & valide possint respective, & valeant.

§. 3. Porro cum se. re. Alexander PP. VII. Prædecessor noster per quasdam suas in pari forma Brevis literas die 26. Septembris 1659. editas, inter alia conceperit, quod omnes in dictam Congregationem in futurum admittendi, expleto probationis anno, si idonei judicati fuissent, emitterent tria vota simplicia obedientiæ, paupertatis, & castitatis, necnon votum, seu Juramentum in eadem Congregatione perseverandi, non dispensandum, seu relaxandum a quocumque alio, nisi a solo Romano Pontifice, aut a Capitulo Generali, vel Definitorio memoratæ Congregationis, ita quod ipsum Capitulum Generale, vel Definitorium minime dispensaret, si relaxaret hujusmodi votum, seu Juramentum alicui ex promotis ad Sacros Ordines, nisi sibi prius constitisset, etiam ex literis testimonialibus Ordinarii loci eum aliunde habere unde commode sustentari posset, & si aliquis dictis votis, & Juramento, ut præfertur, emissis, sine dispensatione, & relaxatione prævia recessisset ab eadem Congregatione, eo ipso remaneret suspensus, donec hujusmodi dispensationem, & relaxationem obtinisset, licetque subinde piæ me. Clemens PP. X. Prædecessor etiam noster per suas literas itidem in forma Brevis die vi. Junii 1676. emanatas, illas Alexandri Prædecessoris interpretando declaraverit Capitulum generale, seu Definitorium dictæ Congregationis posse dispensando dimittere ab ipsa Congregatione eos, qui ob sua demerita notabilia, seu propter incorrigibilitatem, judicio ejusdem Capituli Generalis, seu Definitorii id promeruerint, etiam si dimitti non postulent, seu nolint; Unde satis apparet eundem Clementem Prædecessorem dictæ Congregationi modum, & viam patefacere voluisse, quibus sine ullo ejus incommodo, dyssolis, & incorrigibilibus exonerari, ac repurgari posset, nihilominus aliquibus non satis inde certum, exploratumque videatur, capitulo generali, seu Definitorio hujusmodi factam fuisse potestatem eos delinquentes in penam suorum notabilium demeritorum, seu incorrigibilitatis ex ipsa congregatione dimittendi, qui ad sacros, etiam Presbyteratus Ordines ad titulum præscriptæ Congregationis promoti fuerint, si aliunde non habeant, unde commode vivere possint; Nos omnem in præmissis dubitandi occasionem tollere, ac scandala a dicta Congregatione quantum cum Domino possumus, avertere, & submovere cupientes. Capitulum Generale seu Definitorium prædictum non posse quidem dimittere ejusdem Congregationis Clericos ad Ordines prædictos ad titulum ipsius Congregationis promotos, qui ob incurabiles morbos, aliasve etiam rationabiles causas dimitti postulant, nisi sibi prius constitisset ex literis testimonialibus Ordinarii loci, in cujus Diœcesi degunt, ipsi aliunde suppetere, unde commode sustentari valeant, posse vero dispensando dimittere eos sic promotos, qui ob sua demerita notabilia, seu propter incorrigibilitatem judicio ejusdem Capituli, seu Definitorii id promeruerint, etiam si dimitti non peccant, siue nolint, quamvis non constet, eos aliunde habere, unde commode sustententur,

cum hoc tamen, ut ita dimissi ab eorundem ordinum exercitio tandiu suspensi remaneant, donec illorum Ordinario constiterit eis de redditibus ad congruum ipsorum sustentationem sufficientibus provivum fuisse, motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus, tenore præsentium, statuimus, & declaramus.

§. 4. Insuper ad augendam fidelium Religionem, & animarum salutem Cælestibus Ecclesiæ Theauris pia charitate intenti præter, & ultra Indulgentias, & peccatorum remissiones, quæ aliquam ex Ecclesiis dictæ Congregationis erectis, & in posterum erigendis diebus festis Annuntiationis B. M. Virginis, ac ejusdem Ecclesiæ Sancti Titularis, siue Patroni visitantibus auctoritate Apostolica concessæ reperiuntur, omnibus utriusque sexus Christianidelibus vere poenitentibus, & confessis, ac Sacra Communionem refectis, qui quarta Dominica cujuslibet mensis aliquam ex Ecclesiis hujusmodi devote visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac S. Matris Ecclesiæ exaltatione piæ ad Deum, preces effuderint, plenariam bis in anno omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem per quemcumque Christianidelium lucrificandam misericorditer in Domino concedimus; In cæteris vero anni mensibus, nec non Conceptionis, Nativitatis, Purificationis, & Assumptionis ejusdem Beatæ Mariæ Virginis festis diebus præmissa peragen., septem annos, & totidem quadragenas de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis poenitentibus in forma Ecclesiæ consueta relaxamus, quas omnes, & singulas Indulgentias, & peccatorum remissiones, ac poenitentiarum relaxationes animabus Christianidelium, quæ Deo in charitate conjunctæ ab hac luce migraverint, applicari posse indulgemus. Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

§. 5. Decernentes ipsas præsentibus literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus fortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quocumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit Congregationis Provincialium, Domorum seu Collegiorum hujusmodi; etiam Juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romæ apud &c.

Confirmantur Privilegia Ordinis Carthusianorum.

Alia hujus Const. ed. 1725. Sept. 26. P. 2. concessum fuit Generali dicti Ordinis posse e majori Carthusia egredi pro Monasteriorum visitatione.

Concessio
Indulgentiarum.

Clausula.

CXLI.